



Ed. 65

1) Polanus, Arminius

(nicht 21 - 25)

Ed 65

nicht

verfilmbar

nicht PK



De Confessione Augustana  
Theses,

Quas  
Collegio privato

Disputationes sacras iterum  
ingressurus  
Proponebat

CHRISTOPHORVS PELARGVS  
S. Theol. D.

Defendebat

PAVLVS SCRIBONIVS  
Vratislaviensis

1. a. d. VI. ID. Iunii  
Anno 1594.

Ed 65



FRANCOVRTI  
Typis Scuirianis.



77



Christoph Pelargos



Magnifico & nobilissimo Viro

à. doctrina & Virtute multiplici

CLARISSIMO, CONSILIIIS

& auctoritate amplissimo.

D.N. ABRAHAMO IENCKVVITZ

Dn. in Goldschmid, Iaxauu.

& Baumgarten.

Celeberrima Vratislaviensium

Reipublicæ Praefecto.

& Praesiti

dignissimo.

Meccœnati & Patrono suo.

Ἐπιμασίον hanc

facram.

D. D.

PAVLVS SCRIBONIVS

Vratislaviensis.



# Thesis Prima.



## Vod Nectario

Constantinopoleos Episcopo  
Sisinnius eruditæ do-  
ctrinæ Lector consilium  
dedit ad compescendam hæ-  
reticorum audaciam (ut  
concertationes dialecticas

vitaret, testesq; adhiberet formulas fidei à veteri- Socrates lib.  
bus editas: eò quod dissidiis schismata non compo- 5. Eccles.  
nerentur, sed pugnaciores etiam evaderent ad ver- hist. c. 10.  
sarii) ut non infeliciter tunc cessasse visum: ita in  
controversiis nostri seculi, si non componendis, mi-  
tigandis saltem plurimum posse statuimus: ut quic-  
quid cum sacræ Normæ Formis convenit, ample-  
cti, quicquid dissentit, rejicere liceat.

## II.

Istæ enim fidei exdōctis, ubi sunt scripturis  
analogæ, quæ fuerit Ecclesia, quàm similis semper  
sibi Veritas, quam pia majorum simplicitas, osteno-  
dunt: novandi libidinem reprimunt, utq; à commu-  
nionē sanctorum non recedamus, menstrua atq; ans-  
nua seu nova subinde fide, non difficulter obtinent.

### III.

Vt autem Symbola quondam Oecumenica, unitate fidei consentientia proferebantur tanquam παλαιὰ θεῖα: ita in dissidiis & certaminibus Ecclesiasticis, ubi contentione & pugna vix quicquam proficias, hodie etiam tutò provocabimus ad veteres istas fidei formas sive symbola: Apostolicum, Nicænum, Athanasianum vulgò dictum, Constantinopolitanum, & Ephesinum: quomodo vis nec Chalcedonense rejicimus.

### IV.

His tamen certis de causis necessario adjungimus, Germanam Fidei nostræ Confessionem, quam Augustanam vocamus, eamque Sacramentorum & Pontificiorum erroribus intrepidè opponimus.

### V.

Rationes quærenti, cur tantum hodie tribuamus Confessionem Augustanæ, quantum veteri alicui, occurrent opinor hæ non futiles: 1. Quòd sicut Symbola nihil aliud sunt, quam compendia quedam vel brevia & summaria ἐξυγῆματα totius Theologiæ: ita Augustana etiam dicta confessio religionis Christianæ præcipua complectitur, & describit capita. 2. Quòd ut in Synodis publicè exhibitæ

exhibita istae formae, consentientes Normae: ita  
hoc quoque nostrae Ecclesiae Symbolum ante totius  
mundi oculos exhibitum, & lectum coram omni-  
bus Imperii ordinibus. 3. Quod ut κέρως  
καταξασίως quaedam veteribus accessit, non tam à  
scribentium numero, quam pietate, doctrinae puris-  
tate, & conjunctione Antistitum: ita nostro et  
jam symbolo autoritas illa scribentium, & subscri-  
bentium à præcipuis, ac summè consentientibus  
Theologis, minimè defuisse credenda est.

## VI.

Etsi autem neminem ignorare existimamus,  
quanam sit & unde dicatur Augustana confessio:  
hæc tamen ejus κατάγραφή esto: quod sit Ecclesiae  
totius orthodoxæ, & in primis Germanæ unanimis  
consensus, apertaque protestatio de præcipuis fidei  
articulis in controversiam, ab hæreticis cum vete-  
ribus, tum nostri potissimum seculi vocatis: à Lu-  
thero primò delineatus, in Comitibus verò Augusta-  
nis Anno 30. pleniore & luculentiore scripto com-  
prehensus, in quibus principum octodecim secularium  
confessu, 23. Episcoporum frequentia, in quindecim  
Protestantium, 20. Pontificiorum Theologorum  
presentia publicè Imperatori Carolo V. ex-  
hibitus, lectus, & sic à præcipuis Imperii proceri-

bus approbatus, ut in publicum postea emittere  
liuerit.

## VII.

*in secunda p.  
operum.* Hanc siue definitionem, siue descriptio-  
nem à Doctoris Georgii Sohni definitione discre-  
pantem paucis explicare, & διαφωνίας causam in-  
dicare visum est.

## VIII.

Cum enim Sohnius Augustanam confessionem  
definiat confessionem particularem quarundam  
Ecclesiarum hoc tempore reformatarum in Germa-  
nia; Nos totius Ecclesiae orthodoxae non veriti su-  
mus nominare consensum: ut quam ille siue no-  
vationem, siue à Catholica fide defectionem, vel ut  
mollius dicam deflexionem Germanis tacitè objicit,  
apertè amoliamur: nostram simul fidem ab omni-  
um Orthodoxorum, & totius, quae catholica, Apo-  
stolica est Ecclesia, confessione alienam non esse at-  
testati.

## IX.

Ideò quippe ὁμολογία est, quod ὁμῶς λέγουσι,  
& ut exponere solent Graeci, ὁμοφρονῶσι καὶ σιω-  
ῶσι hoc est, consentiunt orthodoxi Germani, cum  
aliis omnibus, qui aliàs rectè in Ecclesia Catholica  
senserunt, & docuerunt: alioqui dissensio potius  
appellari



appellari poterat, & nos dissonantiae, ac novitatis  
insimulareretur haud immerito.

X.

Etsi verò Germanorum potissimum Theologorum  
confessio ista erat: cui nec Itali, nec Hispani,  
nec ceterae nationes se associabant: propterea tamen,  
ut nec Athanasii nec Cyrilli, aut aliorum piorum in  
Oriente confessio particularis dicta est: nostra etiam  
haec simpliciter particularis non fuerit: nisi esse lar-  
giamur ratione exhibentium, non ratione fidei editae.

XI.

At fortasse Sobnius particularem vocans, con-  
fitemur aliam fuisse Suevicam, quam quatuor civita-  
tes, Argentoratum, Constantia, Memminga &  
Lindavia, vicinae Sueviae in iisdem Comitibus seor-  
sim exhibuerunt. Propterea enim symbolum hoc  
earum saltem dicit Ecclesiarum à quibus receptum,  
non obligare omnes: Et si quis in hac particulari  
confessione error deprehendatur, licere ab ea rece-  
dere, nec enim semper verum, quod cum particula-  
ri Ecclesiarum confessione consentiat, nec semper  
falsum, quod ab ea discrepet.

XII.

Aldimus veteribus quoque haereticis opposi-  
tam hanc fidei fuisse formam. Etsi enim contra  
Pontificios potissimum scripta fuerat, quod ipsi ta-  
men

men multa cum Pelagianis Manichæis, aliisque πα-  
λαϊσὶς ἑρμῆσις hæreticis communia habent: jugulabit  
omnes veteres qui novos omnes, aut veteres illos,  
qui novos convincet illos, quorum idem penè do-  
gma, eadem est absurditas, & impietas.

### XIII.

Præcipuos fidei articulos expositos esse nu-  
merus & tractatio ipsa articulorum facile doce-  
bunt: siquidem, ut περὶ ὁμολογιῶν habeamus ordinem,  
1. de DEO trino & uno. 2. de peccato Originis.  
3. de duabus naturis in CHRISTO. 4. de Iusticia  
fidei. 5. de ministerio Evangelii & Sacramentis.  
6. de bonis operibus. 7. de Ecclesia vera & ejus uni-  
tate. 8. de sacerdotum malorum ministerio. 9. de  
Baptismo. 10. de Cæna Domini. 11. de confessio-  
ne. 12. de pœnitentia. 13. de usu Sacramentorum.  
14. de ordine Ecclesiastico. 15. de ritibus Eccle-  
siasticis. 16. de rebus politicis seu civilibus. 17. de  
extremo judicio. 18. de libero arbitrio. 19. de causa  
peccati. 20. de falsa nostrorum accusatione propter  
bona opera. 21. de cultu sanctorum: Et de his omni-  
bus priore quidem Confessionis parte: posteriore  
autem de abusibus mutatis, de utraq; specie vel sym-  
bolis duobus panis & vini, de sacerdotum conjugio,  
de Missa, de discrimine ciborum, de confessione  
papistica, de votis monasticis: & deniq; de potesta-  
te Eca

te Ecclesiastica, ut breviter, ita evidenter agitur,  
ἐν θέσει καὶ ἀντιθέσει, ἐν κατασκευῇ καὶ ἀνασκευῇ.

#### XIV.

A Luthero primas fuisse ductas lineas histo-  
rica consideratio confirmat: quandoquidem Torgæ,  
quò ab Electore evocati fuerant Vitebergenses,  
17. ille articulos signavit, unde totius operis forma,  
& opificium deniq; absolutum, à Luthero prius les-  
ctum, & approbatum. Quod cùm dicimus Philip-  
pi laborem, nequaquam dissimulamus, aut nega-  
mus: Ita saltem jungimus utrumq; ut cum nulla  
fidei inter vivos fuerit dissensio, in confessione et-  
iam consignanda, non fuisse toto planè orbe divisos,  
& se junctos constet: neq; Sobnii καὶ πάντα recipia-  
tur definitioni inserta particula, quòd primum Au-  
gusta Vindelicorum scripta sit.

#### XV.

Anni tricesimi subinde mentio fieri solet, non  
solum ut veritatis, quamvis pressæ, non tamen op-  
pressæ potentia adversariorum aures circumsonet:  
sed ne nostrorum quoq; fallat oculos utriusq; editio-  
nis inspectio: quarum prior archetypum: altera  
Anno 42. accessione nova privatim à Philippo au-  
ctam, mutatam, & quasi novam confessionem, nec  
sine Principum offensione, nec absq; adversariorum  
eximinatione orbi proposuit.

Verané

## XVI.

Verané hæc mutationis causa sit, quam profert Sohnius & cum hoc alii, quod autores Augustanæ confessionis in luto Transsubstantiationis tum adhuc hæserint: ita ut oportuerit pro his verbis (sub specie panis & vini) reponi alia cum pane & vino: & necessarium quoque postea animadvertsum, particulam in decimo articulo rejicere damnatoriam. Iudicabit lector ex nostrorum scriptis aliis, ac diligenti omnium μεταστροφῶν consideratione.

## XVII.

Vide Luth. de  
Capt. Babylon  
de Abusib.  
Missæ Contra  
Regem An-  
glia, contra  
Cælestes Pro-  
phetas in con-  
fess. maiori  
&c.

Certè à μεταστροφῆς fermento liberatam, jam ante Confessionis scriptionem, fuisse Ecclesiam, (quod ex Luthero evidenter manifestum), vel ipsa temporum monet recordatio, ut suspicio isthic, & opinio nihil obtineant.

## XVIII.

Et vel Bucerus ipse, transsubstantiationis suspicionem in Germanica speciei voce nihil valere libello quodam docuit: quod ante natum illud Pontificiæ μεταστροφῶσεως figmentum à veteribus quoque fuerit usurpata, & diserte Apologia elementa dixerit res esse visibiles, non tantum species rerum visibilium.

Fueritné

## XIX.

Fueritné ab omnibus probata, & recepta, qui hujus patrocinio frui hodie cupiunt, vehementer dubitabitur: præcipuè cum Sleidanus de quatuor civitatatum hominibus jam pridem scripserit, non sensisse illos idem de cæna Domini, quod Saxones, & socii: Calvinus facem & incendium Gallie fore metuerit: Beza sibi per omnia non probari posse asseruerit: Reliqui omnes primam ejus lucem amplecti nolint, alterum partum recipiant, & quo volunt sensu foreant.

Lib. 7. pag.

287.

Calvin. in ep.

ad Bez. pag.

524.

pag. 528.

## XX.

Num etiam cum decem aliis Confessionum formis (ut quatuor civitatum, Basiliensi, Helvetica priore, Saxonica, Virtenbergica, Gallica, Anglica, Helvetica posteriore, Belgica, & Boemica) conciliari possit verè, & sine violento quodam tractu, dispiciendum fuerat: nisi Harmonia ipsa Genevæ Anno 91. edita, duos agnovit argueret, & multis in locis Gamma Betam persequi, ut est in proverbio Veteri, non obscure proderet.

## QVAERAS TAMEN:

- I. Verané: Pontificiorum obiectio: quòd Augustæ demum Vindelicorum sit nata Ecclesiæ nostræ confessio?
- II. An, cum à Patriarcha Constantinopolitano in plurimis articulis reprehensa sit, catholicum nihilominus dici debeat, & possit Ecclesiæ symbolum?
- III. An dissentiat à libro Concordiæ, aut liber hic ab illa?









